DE

HORATIO ET JUVENALE,

SATIRARUM AUCTORIBUS

SCRIPSIT

Dr. CAROLUS JULIUS BOLIA.

FRIBURGI BRISG.
IN TYPOGRAPHICA WAGNERI SEN.
MDCCCLXI.

GUILIELMO FURTWÆNGLER

LYCEI FRIBURGENSIS PROFESSORI

VIRO ILLUSTRISSIMO ET DE LITERIS
OPTIME MERITO

HANC DISSERTATIONEM

UT

GRATISSIMI ANIMI EXSTARET DOCUMENTUM

DEDICAVIT

C. JULIUS BOLIA.

I.

Diu a Roma condita pauca aut nulla potius apud Romanos carmina fuisse, ob duas potissimum causas haudquaquam mirum videtur.

Alteram et illam quidem graviorem credo esse in eo positam, quod Romanis a deo quam plurimis imperandi mortalibus data fuit conditio. Quod munus ut suscipi et susceptum praeclare perfici possit, si omnino constat non parvas et opes et artes necessarias esse, eo magis Romani omni ope atque opera eniti debebant, ut, quod sibi propositum esset, consequerentur; nam fuere minime magna et praeclara civitatis Romanae principia.

Quare ut Romani, quid suum esset, intelligerent ac spe animoque orbis terrarum imperium complecterentur, Livius cap. XVI. lib. I. facit Romulum in coelum sublatum Julio Proculo loquentem verba: *„Abi, nuntia, Romanis, coelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit: proinde rem militarem colant sciantque et ita posteris tradant nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.“*

Si autem huius tanti operis, quod significatum a Romulo est, suscipias cogitationem ac praeterea gentem adhuc parvam et exiguam ad res tantas efficiendas esse constitutam consideres, non potuisse fieri intelliges quin Romani semper fere in armis versarentur nec quidquam haberent antiquius quam ut suam salutem contra aliarum impetus gentium defenderent et omnes vires et opes ad rempublicam tuendam et augendam referrent.

Quare diu, qui status reipublicae Romanae erat, eis ipsis hominibus, qui viderentur feliciore a natura indole ornati esse, tempus carmina condendi deerat. Quum vero imperium Romanorum maius esset factum quam quod gens ulla illius temporis evertere posset, tum etiam literae colebantur, artes ingenuae exercebantur, mores perpoliebantur.

Haec est una, cur diu nulla a Romanis condita sint carmina, causa.

Alteram autem video in eo positam, quod talis erat Romanorum omnis educatio et disciplina, ut non facile ipsi sua sponte ad carmina condenda incitarentur, immo vero impulsoribus alienis, quos Graecos scimus fuisse, indigerent.

Atque haec altera causa ut melius intelligatur, utramque gentem comparemus. Omnino quidem constat et coeli, sub quo gens quaedam vitam degat, et terrae natura optime cogitationem humanam excitari, animos excoli in iisque affectionem injici, dignam illam quidem, quae carminibus exprimatur. Sic in Graecia magnificus coeli color, eximia aurae lenitas, varia montium forma, plantarum color perviridis, terrae denique fertilitas satis magna, ut agricolae diligentia fructibus donaretur uberrimis, multa alia, quae enumerare longum est, tantum effecerunt in animis eorum, qui Graeciam incolebant, ut nihil aliud spectarent Graeci, quam ut corpora animique aequabiliter concinneque excolerentur. Sic etiam poësis, quam fructum humanitatis esse optimum constat, bene feliciterque provenire poterat. Quod igitur modo de Graeciae coelo et terra dixi, id etiam clarissime in Italiam cadit, quum huius terrae praestantiam non satis esse celebrandam Strabo lib. VI. p. 307 et Plinius XXXVI. 77 et alii, in quibus Virgilius, tradant. Nihilo tamen minus quum Graecis non magis quam Romanis optima neque satis celebranda natura faveret, et multo serius et tum demum quum bellis Punicis finitis firmum satis imperium fieri coepisset, et crebrior

usus et commercium cum Graecis esset, est poësis Romam introducta. Quare quae diu carminum paucitatis causa fuerit altera, si quaeras, magis dicendum videtur, et corpora et animos ipsos Romanorum fuisse ad eas res gerendas aptiores, quae ad usum civilem et popularem pertinerent. Robustis corporibus exstructi impigra mente strenuaque usi, fortiter factis spectati quoque tempore magis ad res magnas gerendas quam ad poësin colendam incitabantur. Defuisse prorsus veteribus Romanis ingenium et indolem ad carmina condenda, dici vix potest quam sim huic opinioni inimicus; sed ex causis, quas diximus, satis gravibus, quae illius diuturnae carminum inopiae causa fuerit, intelligamus.

Unum vero genus poëseos nequit confirmari e Graecia ductum esse, sed id scimus pro certo Romanae originis esse. Volo intelligi satiram.

Atque huius generis ut origo demonstretur, faciamus ipsum Livium, probum eius rei auctorem, loquentem: „*Et hoc et insequenti anno, C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone consulibus pestilentia fuit. eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit. et quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, (nam circi modo spectaculum fuerat) inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque (ut ferme principio omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria adciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, coepere; nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum, qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem*

1*

alternis jaciebant, sed impletas modis saturas descripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant.“

„Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. inde ad manum cantari histrionibus coèptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur et ludus in artem paullatim verterat, juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit: quare inde exodia postea adpellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur et stipendia, tamquam expertes artis ludicrae, faciant.“

Hoc loco, qui nobis maximi momenti videtur, ipsius Livii indicatur satis superque, Romanos in eo fuisse, ut fabulam gentis suae plane propriam colerent, quod quominus fieret, multae res, in quibus etiam instituta et leges Romanorum, magno impedimento erant. Eius rei exemplum Naevius, qui, ut verisimile videtur, secutus Aristophanis rationem fabulas scripsit, quibus scelera et vitia temporis sui castigavit, huius autem libertatis suae poenas debuit carcere dare.

Ex illis igitur ludis jocosis, intelligi volo saturas, de quibus supra ipsum Livium loquentem fecimus, certum quoddam poësis genus, idque mutato nomine, satira processit, quae proxime ad nos spectabit.

Haec non theatro sed ut legeretur constituta si quaeratur quam rationem habeat ad *saturam,* de qua sumus modo locuti, etsi alteram ex altera profectam scimus, non tamen parva inter utrumque genus differentia apparet.

Atque, ut brevi comprehendam, actione et sermonibus alternis, quae cum satura, ut par erat, conjuncta fuerant, satira nova supersedere non solum poterat sed etiam debebat, quum illa ad spectandum, haec ad legendum constituta esset. Fuere quoque, qui satiram Romanorum a fabula satyrica Graecorum non alienam putarent, quos quidem adductos ut hoc dicerent similitudine nominum contendisse falsa non minus docte quam accurate demonstravit Is. Casaubonus. Fuisse Graecis quoque satirae ingenium, perperam agat, si quis neget, formam autem eam, quam satirae propriam cernimus, plane Romanorum esse, non jam ambiguum. —

Primus igitur *Ennius* satirarum sex libros scripsise dicitur, quarum tam pauca supersunt fragmenta, ut vix quae earum natura et ratio fuerit, tam certe ac vere confirmari queat, ut ne minimum quidem dubium existat. Videntur autem et argumento ad varias res pertinente et ipsa forma metri proxime ad saturas accessisse eoque optime unde profectae sint demonstrasse. Constabant enim satirae Ennii, quantum licet ex fragmentis, quae adhuc supersunt, exhiberi, descriptionibus, narrationibus, epigrammatibus, cuiusque generis nugis facete et jocose scriptis, ac metrum modo jambis modo hexametris variabat. Eas vero nihilo minus in numero *satirarum* habendas esse et omissis sermonibus alternis et actione neglecta et quod didacticam rationem et viam prae se ferunt, manifestum. *Ennium* est *Pacuvius,* sororis filius, secutus, quem et ipsum ferunt satiras nec argumento certo nec forma composita insignes condidisse. Primus autem, qui in satiris scribendis ea forma utebatur, quae posteris temporibus earum propria fuit, iisque illud ingenium inspiravit, quod etiam nunc esse satirarum scimus, *Lucilius* nominatur.

Natus Suessae in Campania sitae 121 a. Chr. Scipionis Africani junioris et Laelii familiaritate usus ad satiras condendas accessit Romanorum mores in dies peiores, luxuriam crescentem, magnam principum avaritiam contemplatus.

Haec igitur suae aetatis mala hominumque errores et vitia Lucilius magno vir et severo ingenio solum satirarum argumentum esse voluit idque ita, ut, quod jam ab Ennio factum, omni dramatica ratione omissa non jam tam universe scriberet sed id ipsum et solum sibi tractandum sumeret, quod in *saturis* occasione tantum data factum ab actore cognovimus. Rarius jambo et trochaeo, plerumque hexametro utebatur Lucilius, quod metrum ex eo etiam satiris proprium videmus.

Tempore proximus Lucilio est *M. Terentius Varro.* Eius autem poëtae satirae quum magis et argumento et forma ad Ennii carmina accedant, statim ad eos, quos Lucilium secutos esse vere dici possit, gradum faciamus.

Missis omnibus illis, ut Furio Bibaculo, Albutio, quorum vix nominum supersunt vestigia, primus est *Q. Horatius Flaccus* nominandus. Qui erat huius viri animus, rerum meliorum semper appetens neque eas unquam ea qua vivebat aetate plane expertus; quae erant de vita cogitationes eius temporibus illis periculosis miseriisque plenis comparatae; quae denique ad res percipiendas et pingendas maxime idonea facultas ingenii, facillime Horatium per se ipsum ad satiras scribendas impulsum intelligas. Hac de re uberius loqui nostrum erit, quum Horatium et Juvenalem comparabimus.

Missis Virgilii Maronis Diris et carmine quodam, quod Ovidius in exilio scripsisse dicitur, occurrunt nobis viri praecipue duo, qui commemoratione digni videntur, *Persius* et *Juvenalis.*

Horum alter *Persius Flaccus* natus Volaterrae in Etruria sitae a. 34 p. Chr. vixit temporibus Caligulae, Claudii, Neronis, ac mature vixdum juvenis decessit, sex tantum satiris, quae postea Caesius Bassus edidit, relictis.

Persius, cuius mores integros et castos fuisse scimus, erat Stoicorum philosophiae studiosissimus eique plane deditus, quum eam id ipsum continere reperisset, quod ipse sentiret et cogitaret de omni ratione vitae. Cuius

quidem rei cogitatione suscepta si praeter juvenilem Persii aetatem studio flagranti insignem res prorsus mutatas, in quas vita eius incidit, circumspicimus, haud mirum habeamus, Horatii lenem et mitem scriptionem in summam acerbitatem conversam esse. Sic Persius summa indignatione ac quadam animi affectatione, cavillatione usus peracerba de pessimis aetatis suae moribus queritur, interdum etiam ad elegiae sonum descendit, de quo haud mireris, quum elegia et satira commune quoddam vinculum in eo habeant, quod in utroque genere animus adversus res praesentes pugnans proponitur.

Alter eiusdem aetatis scriptor satirarum *Juvenalis* est, cuius jam supra mentionem fecimus. Hunc nobis cum Horatio comparandum sumpsimus, quare ea, quae et ad vitam eius et ad scripta pertinent, in loco perstringemus.

II.

Ea parte dissertationis, quam praemisimus, origine Satirae Romanae demonstrata, tum facta eorum mentione, quos in satiris scribendis versatos scimus, ad Horatium et Juvenalem comparandos progrediamur.

Ac si quaeras, quibus causis ducti nos ex omni poëtarum, quos diximus, numero Horatium et Juvenalem solos deligamus, eos est dicendum satiras scripsisse dignissimas, quae hoc nomine vocentur, et illa duo satirae genera, quae nobis nota sunt, condidisse.

Esse errores et vitia hominum argumentum satirarum, jam supra diximus.

Quamquam igitur Horatius et Juvenalis in eodem genere poëseos versantur, quum uterque hominum errores et vitia sibi tractanda sumpserit, non parva tamen inter eos differentia apparet. Atque, ut ab universo incipientes ad singula pergamus, contendamus.

Horatius errores hominum et vitia in risum vertit atque ridiculo modo proponit et depingit;

Juvenalis vitia aetatis suae et errores odiosa et invisa facit, ut homines odio et contemtu eorum impleantur.

Horatius alacris, jocans, ridens;

Juvenalis severus, gravis, acerbus in satiris conspicitur.

Utriusque poëtae discrimine generatim dicto, singula, de quibus uberius loquamur, haud difficile intelligantur.

Inter se differunt

A. In Argumento.

1. Horatius vitia et errores hominum irridet. Universam et omnem rationem vitae in eo positam censebat, ut ad felicitatem quisque et ad salutem perveniret via virtutis. Hanc enim poëta docet praebere animi tranquillitatem nulla re adversa perturbatam, hanc ipsam esse hominis felicitatem, huc contendere sapientem virum; errores autem et vitia impedire ne ad illam felicitatem perveniri possit. Quum vero nemo non desideraret salutem et tamen nonnulli interdum erroribus se darent homines et vitiis inservirent, ridebat Horatius in satiris. — Sententiae, quas habebat de moribus ac de omni virtute, pro certo bene moratae duci debent. Probo et simplici animo sicut mente integra erat, urbanitate, humanitate, lepore quodam et hilaritate insignis.

Ornabat eum mens sana et magna animi tranquillitas non minus quam non parvum acumen ingenii, tot exemplis spectatum. Ob eas ipsas res, quas Horatii proprias sta-

tuimus, praecipue quod rerum humanarum prudentissimus erat, non se vitiis suae aetatis ita commoveri patiebatur, ut animus tranquillus ullo modo turbis vexaretur. Inerat omnino in Horatio natura quaedam omnibus rebus depravatis inimica, quare quae hanc animi et mentis suae concordiam perturbare et convellere videbat, ea procul a se esse volebat. Jocose verum dicere, acumine quodam acuto hilarique illa vituperare inque risum vertere, quae modum superare videbantur, Horatius esse suum, idque qui et temporum et suae naturae status erat, optimum putabat. Neglectis rebus inhonestissimis omnibus, contemtis et despectis iis, quae prorsus depravata esse manifestum erat, omissis denique illis vitiis, quae medicina posse nulla sanari censebat, nunquam vehementer et aspere loquebatur, sed potius, quod ipse homines aliis melius cognitos habebat, laetabatur, eorum errores et facta minus laudabilia in lucem proferens. Inferius exemplo quod diximus modo, confirmare studebimus.

2. *Juvenalis vitiorum judex acerrimus, castigator acerbissimus.* Hominem vitiis obstrictum, pravitatique inservientem nudat Juvenalis et revelat omnia eius facta omnesque cogitationes contemnendas, ut saepius poëtam credideris pudorem deposuisse. Quod Stoicorum disciplinam sequitur, vitium non comparatione cum aliis sed suo genere ac natura vitiosum, pessimum, turpissimum ei videtur; utitur igitur oratione acerba, severa, castigante.

Non igitur Juvenalis aeque atque Horatius errores depingit humanos, qui in omnes fere homines et quamque aetatem cadunt; non igitur ad res proponendas uti verbis joco et urbanitate plenis potest, quum lacrimas fundere quam ridere malit. In suam potius ipsius aetatem impetum facit sagillans et ignominia afficiens omnia quae contra naturae legem et rationem mentis videantur. At contra celebrat magnis laudibus veteres Romanos eorumque virtutem castam et sublimem majestatem vehementer laudat, ac proponendo verae fortitudinis, probitatis, justitiae

exempla, quantum mores priores iique boni et integri deserti sint, optime demonstrat poëta.

Quare etiam in Graecos et in omnia adventicia, unde perniciem venisse civitati Romanae dicebat, summum odium suum convertebat.

Inprimis feminis acerbas ac severas notas inurit, cuius rei octava praecipue satira exemplum sit.

Feminarum scelera, quibus nil flagitiosius cogitari potuit, quaeque innumerabilia tum facta scimus, tali modo revelat Juvenalis, ut fuerint qui poëtam ipsum male moratum vitiisque quae enarraret deditum crederent. Hanc vero opinionem falsam esse aliis causis omissis tum haud difficile intelliges, quum satirarum scriptorem debere aetatem suam depingere eoque meliorem poëtam haberi consideraveris, quo verius varias res ac rectius describere sciat. Si igitur magnus vitiorum scelerumque numerus aderat, fuit quoque poëtae de iis loqui, si officio fungi volebat, ut eo quo contenderet, perveniret, id est, res turpes et flagitiosas in odium et invidiam vocaret.

Interdum vero negari nequit Juvenalem atrocius et vehementius quam par est saevire et insanire, saepius res bonas suae aetatis, quae sane satis paucae fuerint, praetermittere et ira ac studio justo vehementius rapi.

Quod quidem excusationis habeat satis, quum virum bonis moribus insignem, mente sana praeditum, mediis in sceleribus viventem fere solum integrum et justum, a tot nefariis circumfusum, contra ea pugnare consideraveris, quae nec mens cogitare nec sustinere animus queat. Quare in prima statim satira quibusdam rebus perversis praemissis *„difficile est satiram non scribere“* ipse poëta valde iratus exclamat; et vers. 87 adjicit verba:

„Quando uberior vitiorum copia“ etc.

Apparet satis superque, aetatem, in quam vita Juvenalis incidit, acerbo et severo castigatore eguisse atque orationem castigantem ad tale tempus describendum necessariam fuisse, non videatur ambiguum.

Quae sit argumenti inter Horatium et Juvenalem differentia, demonstravimus; nunc formae habita ratione eos confirmabimus differre inter se in

B. Orationis habitu et ingenio.

1. *Horatius saepenumero orationem velut dramaticam adhibet.* Eum, quem abducere ab erroribus ac vitiis studet, loquentem inducit et ad ea quae protulit respondentem. Prudenti ratione facit eum ea ipsa contendentem, quae ex parte saltem aliqua excusare vitia videantur, quaeque prudentissimus quisque stultorum ad errores defendendos protruderet, si defendi possent. Ac quo magis et vehementius verbis certatum est, eo maiorem tandem Horatius victoriam reportat.

Juvenalis contra oratione dramatica supersedere debebat aut saltem poterat, quum vitium censeret ne minimam quidem excusationem habere.

2. *Horatius saepe cavillationem et ironiam adhibet,* eique interdum acerrimum ingenii acumen adjungit, qua re id consequitur, ut is, qui legit satiram, ad veram de vitiis sententiam ducatur neque possit non laudare et comprobare Horatianam.

Juvenalis rarissime ironia, saepius maxima derisione utitur.

3. *Horatius,* homo urbanus orationis elegantia, quanta apud poëtam inveniri maxima potest, excellere studet, sicut vi cogitationum et gravitate ingenii acumen ostendit; *Juvenalis* id unum spectans, ut verum proferatur, vitium accurate depingatur, animus denique eius, qui legit, commoveatur, tali oratione opus non habet.

Quare haud facile adjectivum apud Juvenalem reperias, quod non gravem sententiam habeat, quamquam poëtas satis constat saepissime adjectivis nominibus uti ad orationem solum exornandam.

4. *Horatius satiras suas sermones nominat*, quod nomen etiam dignae sunt quae ferant: profecto accedunt ad quotidianae vitae sermones, naturalem quendam habitum orationis prae se ferentes, nec tamen unquam justo humiliores sunt.

Juvenalis saepe declamatoris oratione utitur, qua uti illi solent, qui in scholis dicendi exercitationes habent.

Ac scimus quidem Juvenalem usque ad quadragesimum aetatis suae annum in scholis declamasse in iisque studiis versatum esse, quae ad artem rhetoricam pertinerent. Haec studia tot per annos culta, has in scholis crebras exercitationes dicendi a poëta habitas ad carminum, quae postea scripsit, formam et ingenium vim non parvam habuisse nemo non concesserit, quum omnes fere aetatis argenteae scriptores, quorum ne Tacitum quidem et Quintilianum excipio, se rhetorica quadam disciplina esse usos scriptis suis demonstrent. Non jam oratio illud aurum integrum ac germanum complectebatur, quod aureae aetatis proprium ipsum per se fulgeret, non jam ille simplex ornatus, per quem ingenium excellens et honestum perspici poterat, circumdabat orationem: ante res omnes vis atque effectus petebatur, et ad amorem excitandum aut ad odium commovendum omnia verba et dicta spectabant. Cuius quidem opinionis totae enunciationes, cogitationes, singula loquendi genera, verba ipsa signa firma dant.

Libenter adhibens verborum immutationes, continuas translationes aliaque orationis ornamenta saepe res ipsas praetermittit, earum autem notam propriam seu bonam seu malam perstringit, haud raro res quasdam, tempora, personas, mores, instituta significat, quae quum nobis omnia ignota videantur, interdum satirarum lectionem difficiliorem reddunt. Nec tamen Juvenalem solum rhetorem esse dici potest, quum satis magnum rerum earum numerum, quas verum habere poëtam decet, in se habeat.

Oratio gravis atque nervosa notam veritatis prae se fert nec splendore falso et fuco quodam compensare vim ger-

manam sensuum et cogitationum ullo modo studet. Inest praeterea in Juvenale magnum acumen ingenii et res, quae disiunctae videntur, conferendi componendique non contemnenda facultas. Non minus denique oratione ea, qua tragoediarum scriptores uti quam qua poëtae comici solent, excellit ac vim quandam dicendi gravissimam, quam ne unus quidem consecutus memoratur, ostendit. Quare Is. Scaliger Juvenalem eorum, qui satiras scripserint, esse principem contendit.

5. Quum qui esse dignus vult, qui satirarum scriptor nominetur, omnibus illis debeat satisfacere rebus, quas ut artifex quisque habeat postulatur, est etiam quaerendum, *qualis Horatius, qualis Juvenalis artifex sit.* — Ac reputantibus quidem nobis ea quae jam diximus, intellectu facilia, quae hac de re contendemus, videbuntur.

Horatius plane artifex. Satirae, quas condidit, sunt eleganter et subtiliter dispositae, facile institutae et ad finem perductae, partes optime coniunctae; carminum quodque unum aliquod et totum idque ita perfectum, ut, nisi formam rectam ipsam vulnerare velis, neque adjicere quidquam neque avellere queas. Forma optime cum argumento connexa, ut altera sine altero cogitari non possit. Qua re ipsa artifex conspicitur. Versuum ratio facilis et iucunda, quotidiano sermoni aptissima, nec nimis longa et copiosa nec nimis brevis et pressa oratio; suis denique officiis omnibus poëta ex causis, quas diximus, tot tantisque clarissime satisfecit, ut recte summam admirationem habeat.

At Juvenalis non talis artifex. Summam enim rerum ponit in cogitationibus exprimendis, quare ab eo dispositio secundum leges artis moderata, compositio omni opere aequalis et congruens saepius negligitur. Unde fit, ut partes inter se male interdum cohaereant, cogitationum et sensuum fere nulla transgressio conspicua sit, argumentum minus forma teneatur, ut tibi sine intellectus et contextus damno nonnulla aut adjicere aut adimere liceat. Finis

etiam saepe repentinus nostrae exspectationi non respondere videtur. Haec ad universum. At si de singulis loquemur, multa, quae Juvenalem clarissime commendent, reperiemus. Singulae cogitationes, translationes, descriptiones acumen ingenii mentisque vim indicant; philosophiae sententiae et praecepta accurate dicta; oratio ipsa splendida, saepe autem ita mixta, ut nunc altius assurgat ad vim lyricam accedens, nunc subito justo humilior incedat.

Non denique ea accedit ulla ratione ad subtilem sermonem quotidianum, quo recte beneque uti nemo non esse difficilius concesserit, sed ut jam diximus, talis videtur, qualem oratores ad mores emendandos constituti loqui solent. Haec omnia, quae prolata a nobis sunt et illa ipsa, quibus reprehensus esse Juvenalis videatur, et temporum et naturae poëtae habita ratione, facilia ad intelligendum esse, in tertia eaque ultima dissertationis nostrae parte confirmare studebimus.

C.

Ea, quae *Horatius* in satiris scripsit, omnibus temporibus propria sunt atque valebunt, dum homines errabunt, dum vitia non exstincta erunt; ea autem, quae *Juvenalis* profert, non aeque bene accomodari omni aetati possunt, propterea quod illa, qua vixit, aetas proprio modo vitiosa fuit et in omni genere ita depravata, ut neque ante neque post mores hominum tam perditos fuisse memoriae traditum sit. Horatii igitur satiras magis universe quam proprie, Juvenalis autem magis proprie quam universe scriptas esse sine ullo dubio confirmetur.

Quodsi quaerimus, quaenam etiam huius discriminis causa sit, aliam afferre nullam possumus quam quod poëtam utrumque fuisse diverso ingenio et diversa aetate vixisse videmus.

Quam rem quum inferius diligentius et accuratius

illustraturi simus, hoc loco illius discriminis causas paucis complectamur.

Horatius, homo hilaris, ab omnibus, saltem plurimis dilectus, vixit eo ipso tempore, quo populus Romanus maxima potestate florebat, artes et literae colebantur, atque Augustus pacis diu exspectatae restitutor scriptorum et poëtarum imprimis fautorem se praebebat.

Non igitur Horatius habebat, quod aeque atque Juvenalis suam aetatem pertractaret, bonis moribus nondum ita plane exstinctis.

Juvenalis, acerbus malorum castigator atque severus virtutum commendator vixit aetate dominationis crudelissimae, qua mores hominum, summorum infimorum, ad summam perniciem delapsi essent, qua non jam sucus ille et sanguis maiorum incorruptus per venas funderetur. Talis aetas profecto tali castigatore indigebat, qualis Juvenalis erat, Augusti vero aetati Horatius magis idoneus poëta fuit.

Quum igitur pertractet *Horatius* res eas, quae quamvis multae aut plurimae ad suam aetatem pertineant, tamen magis propriae omnibus temporibus et hominibus haberi possint, *Juvenalis* apertum in suam ipsius aetatem et ut diximus vehementem impetum facit.

Sic modo luxuria, vitia, sumptus effusi nobilium (Sat. 4, 9, 11), modo simulatio et dissimulatio ac ficta religio (Sat. 2) resque turpissimae feminarum (Sat. 6), modo tristitia eorum, qui in literis et poësi colenda ingenio carentes versantur (Sat. 7), modo superstitio et mores Aegyptiorum ad summam perniciem delapsi et multa alia sunt, quae satirarum argumenta esse Juvenalis voluit.

Omnino non solum Juvenalem sed etiam fere omnes aetatis eius, quam nos classicam vocamus, scriptores et poëtas et sensu et ingenio ab iis, qui optimos illos scriptores et poëtas aureae aetatis secuti sunt, diversos esse constat.

Non jam temporibus Taciti, Senecae, aliorum illa animi tranquillitas, qua usi Horatius, Cicero, alii for-

mam aeque atque argumentum conformaverant, non jam illa contemplatio placida rerum humanarum et divinarum animis inerat. Imo in dies crescere magis animorum mobilitatem, ferri sublime mentes, in altiores semper gradus hominum ascendere ingenia et sensus animadvertimus. Quae quum ita sint, ad hanc, quam diximus, commutationem rerum vim non parvam habuisse doctrinam Christianam nemo erit qui neget.

D.

Ad demonstranda ea, quae de utriusque poëtae discrimine adhuc diximus, huius secundae particulae dissertationis nostrae finem duarum satirarum, alterius Horatii, alterius Juvenalis esse comparationem velimus.

1. Satira lib. I.

Huius carminis argumentum est hominum de sortis suae iniquitate querela, quae Horatium in contemplandis variis hominum studiis versatum haudquaquam fugere potuit. Cuius quidem rei egregia exempla initium statim huius satirae praebet, quo loco vota diversa veteris militis et mercatoris, juris consulti urbanis negotiis occupati et agricolae urbanam vitam suae praeferentis oculis legentium proponuntur. Sunt haec vota et verba ipsa, quibus continentur, ex vita sumpta quotidiana, ut personas, quas poëta loquentes inducit, videre earumque sermones ipse audire tibi videaris.

Sic „*O fortunati mercatores*“ gravis annis miles clamat multo jam fractus membra labore. Contra mercator, navem iactantibus austris, „*Militia est potior. Quid enim? Concurritur; horae momento cita mors venit aut victoria laeta.*“ Causae, quibus juris legumque peritus ut laudet agricolam, et quibus agricola ut urbanam vitam praeferat suae, commoveatur, non personarum ipso sermone recitantur, quum hac de re jam satis esse dictum Horatius credat.

Ac ne ceteris eiusmodi rebus, quae ipsum loquacem Fabium delassare valeant, Maecenatem moretur, statim vult se audiri, quo rem deducat. *„Si quis deus „„En ego"" dicat „„Jam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles, mercator: tu consultus modo, rusticus. hinc vos, vos hinc mutatis discedite partibus. Eia! quid statis"" — nolint. Atqui licet esse beatis."*

Fingit igitur Horatius hominibus de sortis iniquitate querentibus mutandi ordines vel per deum aliquem esse datam occasionem. Quamvis autem suam quisque felicitatem optime eamque a Jove ipso accipere donatam possit, est nemo tamen eorum, qui paulo ante sortem aliorum laudibus extulere, partes mutandi cupidus. Jam vigore quodam orationis, sermone lepido et jocoso sed iram simulante: *„Quid causae est, merito quin illis Juppiter ambas iratus buccas inflet neque se fore posthac tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?"* In iis, quae antecedunt, poëta jocose et lepide significavit tantum, in quo causa, cur homines de sorte sua querantur, ponenda sit.

Huius igitur rei quaestionem accuratam esse eorum quae nunc sequuntur argumentum indicat poëta idque amoto omni joco ludoque tractari vult. Atque sic transgreditur ad ipsam rem. Sed sententia, quam cum adverbio „praeterea" inceptam nulla intermissione data iri finitum exspectamus, interrupta de industria parum accuratum sermonem quotidianum imitando quasdam enunciationes inserit, earumque verbis *„sed tamen amoto quaeramus seria ludo"* fine facta (vers. 28) ad id, de quo agitur, gradum facit.

Hominum igitur querelarum, quas diximus, originem Horatius non in eo quaerendam esse docet, quod suum quisque ordinem aliis minorem habeat, sed quod nimia impleti avaritia homines sua soleant contemnere, aliena ut praestantiora laudare.

Quod igitur insatiabili homines cupiditate, ut plura quam par est acquirant, stimulentur et tanta semper aviditate

teneantur, ut ne comparatis quidem opibus uti liceat, nasci etiam alienae sortis cupiditatem poëta censet.

Sicut autem supra nonnulla querelarum exempla, quibus res manifesta fieret, commemoravit, ita etiam hoc loco, ubi de avaritia verba facit, aliquot homines nominat, qui quum iu munere suo fungendo ob id unum et solum labores perferant ut lucrum faciant, excusare avaritiam suam et aviditatem tegere causis cuiusque generis satis levibus frustra nituntur.

Alii (vers. 29—36) id unum se curare aiunt, ut senectutem sibi placidam et securam parent; imitari se formicae exemplum quae aestate colligat quibus hieme vitam sustentet. Non longa in Horatio mora. (Vers. 36—40) Praeclare ac breviter demonstrat istos in colligendo quidem opes formicae similes esse, in fruendo dissimillimos, cum nunquam comparatis fruantur, aurum autem ipsum, nisi eo sapienter utaris, nullius pretii sit.

Jam alios (vers. 41—51) qui ad vilem assem censeant opes imminui, si quid de congestis detrahatur, stultissimos esse Horatius patefacit, ad satianda desideria naturae pauca esse necessaria docens.

Jam sunt alii (vers. 51—60) quibus suave videatur de magno sumere posse acervo. Hi quoque clarissime refelluntur. —

Jam alii (vers. 61—67) adsunt, qui suam agendi rationem excusantes nihil satis esse affirment, quoniam cum rebus etiam dignitas et auctoritas crescat. Quibus ita persuasum sit, eos miseros esse neque ulla sanari medicina posse, poëta ostendit (vers. 67—91). Comparat eos cum Tantalo suavissimas fruges contemplanti, sed fame perpetua vexato, ac manifestat opes iis non commoda et laetitiam, sed sollicitudinem et metum parare; neminem esse, qui tales amet homines, ne cognatos quidem; quo fieri, ut ab omnibus deserantur et destituantur. (Vers. 92—100) Quaeritur quid inde doceamur. Atque esse quidem aliquando a congerendis opibus et divitiis desistendum iisque fruen-

dum, ne vita misera miserum habeat exitum. Cuius rei exemplum mala fortuna cuiusdam avari hominis affertur (vers. 101—107). Neque propterea oportet in contrarium vitium delabamur, nam *„est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum."*

(Vers. 108—fin.) Redit poëta ad propositum suum, repetens graviter et accurate ponendas istarum de sorte querelarum esse causas in avaritia, quae nunquam, ut ad tranquillitatem animi et ad sapientem vitae usum pervenias, patiatur. Tum jocose finitur verbis: *„jam satis est: ne me Crispini scrinia lippi compilasse putes, verbum non amplius addam."*

Hoc ipso loco ars Horatii egregia inveniendi exitus conspicitur, qua saepe satiris et epistolis inexpectato quodam joco finem imponit et animos legentium grata afficit hilaritate.

Quae igitur sententiae supra a nobis de satira Horatiana prolatae sunt, eas, qui nos in hoc carmine tractando erit consecutus, veras invenerit.

Atque quantum ex carmine ipso exhiberi possit, complectamur paucis. Vidimus

a) Horatium errores accurate et vere depingere, eos optime quidem et clarissime refellere, sed perpetua tranquillitate animi jocose et lepide verum dicere. Quae res quum satira tota confirmetur, quidam tamen loci imprimis nominandi videntur. Vers. 15—26. 45—47. 64—70. 120—121.

b) Horatium saepenumero ipsas personas, quarum refellere opiniones et irridere studet, loquentes inducere, id est, oratione velut dramatica uti. Vers. 4. 7. 43. 51. 62. 66. 67.

c) Horatium sermone uti ad quotidianum accedente (cujus rei vers. 24—28 signa imprimis firma dant), nec tamen eum incedere humiliorem.

d) Carmen esse bene dispositum, partes inter

se optime cohaerere, enunciationum singularium esse aptas transgressiones, versuum rationem esse facilem et formosam, argumentum recta veraque forma expressum.

Quae omnia Horatium artificis munere defunctum esse manifestant.

XIV. Satira.

Hoc carmine Juvenalis docet malis exemplis parentum, qui minus caste ac pie vivant, corrumpi et pessum ire ingenia et mores liberorum. Hos addit plerumque fere omnes ipsis parentibus fieri peiores.

Primum Fuscino, homini nobis ignoto, esse plurima significat, quae et fama sinistra digna sint et nitidis etiam rebus maculam haesuram figant; ea autem, quamvis sint perversa et vitiosa, ab ipsis parentibus monstrari pueris et tradi adjicit.

Versuum, quibus haec verba continentur, et brevitas et argumentum cuiusdam indignationis, quam habere poëtam par est, et irae justae dant testimonia. Vix enim Juvenalis ac ne vix quidem Fuscini animum ad illud advertit, plurimas esse res reprehensione dignas; eas etiam, quod haud facile suspiceris, parentes esse qui suos ipsorum liberos doceant, statim in primo non potest non adjicere. Tum afferuntur complura exempla, quorum videmus posterius quodque altiores gradus pravitatum vitiorumque continere atque indignationis iraeque graviorem vim indicare.

Sic aleae, gulae, crudelitatis, libidinis exempla traduntur inde a versu 4—30. Atque verba poëtae ipsius afferre non alienum fuerit, quum nec brevius nec melius interpretari ea possimus.

Vers 4 — 30.

Si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres
Bullatus parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo

Concedet juvenis, qui radere tubera terrae,
Boletum condire et eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente
Et cana mostrante gula: quum septimus annus
Transierit puerum, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto coenare paratu
Semper et a magna non degenerare culina.
Mitem animum et mores modicis erroribus aequos
Praecipit atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat paribusque elementis,
An saevire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antipathes trepidi laris ac Polyphemus,
Tunc felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro?
Quid suadet juveni laetus stridore catenae,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer?
Rusticus exspectas, ut non sit adultera Largae
Filia, quae numquam maternos dicere moechos
Tam cito nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? conscia matri
Virgo fuit; ceras nunc hac dictante pusillas
Implet et ad moechum dat eisdem ferre cinaedis.

Hoc loco Juvenalis ad tempus afferendi exempla finem facit, atque, quum magni vitiorum auctores ipsi parentes sint, dolore quodam contendit non posse fieri quin velocius et citius depravemur et corrumpamur.

Juvenem addit unum et alterum inveniri posse, qui quum a natura meliore mente animoque praeditus sit, talia spernat, sed reliquos, qui veteris culpae diu monstratis exemplis trahantur, fugienda persequi parentum vestigia.

Quare nos jubet Juvenalis ob hanc solam causam fugere vitia, ne qui ex nobis geniti sint crimina sequantur. Quod ne fiat, praecipit verbis, quae sequuntur:

„Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae pater est; procul, ah procul inde puellae
Lenonum et cantus pernoctantis parasiti!
Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, nec tu pueri con.empseris annos,

Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam si quid dignum censoris fecerit ira
Quandoque et similem tibi se non corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque filius et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum et castigabis acerbo
Clamore ac post haec tabulas mutare parabis:
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Quum facias peiora senex vacuumque cerebro
Jam pridem caput hoc ventosa concurbita quaerat?"

Jam parentes in multis rebus iisque satis levibus diligentiam maximam, in gravissimis adhibere nullam ostenditur.

Ut enim, si hospes venturus est, omni cura ac studio providetur ejus adventui, suntque parentibus res domesticae omnes maximae curae, ne immunditia nimis magna displiceat, sic cogites illud quoque curare parentes, ut domum non solum mundam sed etiam omni scelere ac vitio carentem adspicere hospiti liceat. Quin etiam ipse filius parentum intueri vitia et scelera cogitur, unde non est quod miremur fieri, ut eadem fere pueri, in quibus maiores versentur, sectentur.

Quare si quis civem dare idoneum atque utilem patriae velit, circumspiciendum ei est, quibus puer artibus, quibus moribus institui debeat; nam quali ratione eum educatum esse scies, talis civis exsistet. Affert Juvenalis ad id demonstrandum exempla tria ex animalibus sumpta; tum ad luxum in aedificiis struendis et ad superstitionem facit gradum et in utroque genere a pueris parentes etiam superari exemplis illustrat.

Nunc fit ad id, quod praecipue poëta castigaturus est et reprehensurus, apta transgressio, quae verbis incipit:

„Sponte tamen juvenes imitantur cetera: solum inviti quoque avaritiam exercere jubentur." Vehementis haec verba indignationis et irae signum.

Non enim ea tantum coram liberis faciunt parentes, quae illi sua sponte imitentur, sed etiam, quod vix cre-

dideris, jubent eos illud vitium invitos exercere, quod turpissimum esse omnium constat. Poëta intelligi vult *avaritiam.* Primum indicatur, quibus rationibus parentes, ut pueri fiant avari, efficere possint. Ac magno quidem emolumento partim est, quod avaritiae vitium ipsum specie et umbra virtutis fallit, quum, ut ipsius poëtae verbis utar, *„sit triste habitu vultuque et veste severum nec dubie tamquam frugi laudetur avarus, tamquam parcus homo et rerum tutela suarum certa magis, quam si fortunas servet easdem Hesperidum serpens aut Ponticus."*

Partim in studio pueros docendi avaritiam adjuvantur parentes opinione ipsius vulgi, quod tales homines egregios acquirendi artifices existimat. Felices igitur coram liberis vixdum infantibus avari miris laudibus praedicantur nec hominem pauperem, qui vere beatus sit, esse ullum sancte affirmatur.

Quare parentes pueros hortantnr, ut illam ire viam pergant et eidem incumbere sectae. Ne autem, quantam deformitatem et reprehensionem avaritia habeat, statim animadvertant pueri, initio quibusdam elementis, ut fere fieri solet, imbui solent. Sic coguntur prima usi institutione sordes minimas ediscere, mox autem docentur acquirendi insatiabile votum:

„Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet umquam
Mucida caerulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, nec non differre in tempora coenae
Alterius conchem aestivi cum parte lacerti
Signatam vél dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri:
Invitatus ad haec aliquis de ponte negabit.

Jam descripta ratione, qua uti avari soleant, erumpit stomachum poëta, quid tandem valeant divitiae haec per tormenta coactae quaerens atque haud dubium esse furorem exclamans, si quis, dum vivat, ob id vivere egens velit, ut locuples moriatur.

At crescentibus divitiis crescit etiam aviditas pecuniae, atque nec mentis integrae nec vitae miserae ratione habita ulla ea omnia, quibus augeri opes possint, suscipiuntur: *„Ergo paratur altera villa tibi, quum rus non sufficit unum, et proferre libet fines, maiorque videtur et melior vicina seges: mercaris et hanc et arbusta et densa montem qui canet oliva.“*

Quin etiam avarus ut eo, quo contendat, perveniat, agere injuste non dubitat. — Jam sequitur, quod ipse avarus ad se defendendum protrudit: *„Quid nocet haec? tunicam mihi malo lupini, quam si me toto laudet vicinia pago exigui ruris paucissima sarra secantem.“*

Derisione quadam poëta eum omnibus rebus fore felicem ac beatum respondet, si tantum agrum ipse solus possideat, quantum populus Romanus sub Tatio universus araverit. Sed haud diu derisioni et ironiae datur locus. Ad severitatem reversus poëta commemorat iis, qui aut aetate fracti essent aut laudabiliter in militia pugnassent, vix bina iugera dono data esse, hanc autem sanguinis laborisque mercedem nunquam meritis minorem nec patriam ipsam ingratam ductam esse, imo *„saturabat glebula talis patrem ipsum turbamque casae, qua feta jacebat uxor et infantes ludebant quatuor, unus vernula: tres domini“* —

„Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto“:

Earum commutationum omnium causae in avaritia, qua nullum humanae mentis vitium peiorem vim habeat, quaerendae sunt, quum nec reverentia legum nec metus aut pudor ab avaro observetur. Maiores nostri alias rationes vitae praeceperunt, nunc autem pueri, autequam alpha et beta discant, eas ipsas res docentur, quibus et superbi et avari fiant atque omni opere depraventur et corrumpantur. Parentem autem eum, qui talibus monitis pueris instet, sic affatur poëta: *Dic, o vanissime, quis te festinare jubet? meliorem praesto magistro discipulum. Securus abi; vinceris, ut Ajax praeteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.“*

Iis, quae proxime sequuntur, variis exemplis avaritiam demonstratur esse cuiusque vitii et sceleris fontem ac radicem nec vitam ipsius avari tutam ab insidiis varii generis reddi.

Descripta iterum satis graviter accurateque depicta ratione eius, apud quem avaritia tamquam perpetua hospes habitet, tum facta periculorum angorumque mentione, quae semper divitias tali modo congestas sequantur, quaerentibus nobis, quantum ad vivendum sufficiat, poëta respondet verbis:

„In quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Numquam aliud natura, aliud sapientia dicit.“

Quod si quis nondum esse satis existimet, addere jubet, dum habeat trium opes equitum. Si neque hoc sufficiat, nullius usquam in orbe terrarum hominis etiam ditissimi eum satiari divitiis posse. Atque sic finitur.

Qui in tractando hoc quoque carmine nos diligenter secutus erit, et argumenti et orationis illum habitum invenerit, quem prae se ferre Juvenalem supra statuimus. Hanc ipsam ob causam ac quum compluries huius carminis ipsi versus, quibus et argumentum et forma optime perspiciatur, ad verbum citati sint, supersedere pluribus haud dubie poterimus.

III.

Ut jam diximus, esto tertia eaque ultima pars dissertationis nostrae de utriusque poëtae aetate. Hanc enim si omnino apparet non maximam quidem sed magnam tamen vim ad indolem cuiusque hominis excolendam et ad animum formandum habere, tempora ea, in quae vitam Horatii et Juvenalis incidisse scimus, tantum in utroque poëta effecisse dici potest, ut si talia non fuissent, illa duo satirae genera nunquam futurum fuisset ut conderentnr.

A.

Q. Horatius Flaccus L. Aurelio Cotta L. Manlio Torquato coss. a. d. VI. Id. Dec. anni DCLXXXIX p. u. c. natus est Venusiae, Romana colonia in Apulia sita. Patre usus est libertino, qui coactoris munere fungebatur; mater quae fuerit nescimus, quum eius nusquam ne nominis quidem mentio fiat. Pater igitur Horatii quum intellexisset, quanta ingenii virtus in filio esset, neque se ei melius consulturum esse putaret, quam si eum bonis literis erudiret, agello, quem Venusiae possidebat, vendito Romam demigravit. Ibi quum grammaticorum scholas frequentasset et utriusque linguae scriptores et poëtas legisset, atque aliis quoque artibus, philosophiae, historiae, arti oratoriae haud dubie operam dedisset, secutus morem nobilium juvenum Athenas, ubi philosophiae studeret, migravit.

Quum autem bellum exortum esset, Horatius incensus libertatis ac patriae amore in castris Bruti arma cepit et, qnamvis obscuro loco natus esset, munus tribuni militum obtinuit. Pugna apud Philippos pugnata usus venia oblata partes reliquit et in Italiam rediit, ubi interea pater mortuus erat fundusque paternus proscriptione direptus.

Hoc ipso tempore Horatius primum tentasse carmina iisque sibi optimorum et poëtarum et artium fautorum amicitiam conciliasse videtur. Inter quos nominandi sunt Valgius Rufus, Aristius, Bibulus, Varius, Virgilius, Asinius Pollio, alii. Varius autem et Virgilius poëtae eum Maecenati commendavere. Qui vir, nobili natus loco, maxima Caesaris Octaviani usus familiaritate, studiosissimus literarum artibusque bonis deditissimus, quum primum quid in Horatio esset intellexit, eum sibi ita familiari amicitia conjunxit, ut nihil esset tantum, quod aut a Maecenate petere non auderet Horatius, aut petenti Maecenas auderet negare.

Horatius autem, qui Maecenatis gratia non ad opes colligendas aut ad honores captandos utebatur, nil accepit ab opulentissimo amico, nisi unam parvulamque villam in Sabinis sitam, quae omnibus eius votis satis superque respondebat. Ibi vir naturae amantissimus, rusticam vitam urbanae longe praeferens, se dare iis rebus poterat, ad quas et natura eum ferebat et amici familiaresque incitabant.

Haec cum Maecenate familiaritas Horatio etiam *Augusti* favorem conciliavit, quem ei quam multi in criminationem vertant, non potest cuiquam ignotum esse nisi qui literas nesciat. Sed hoc nihil ad nos. Nostrum erit potius, temporis, quo Horatius vixit, ratione habita quaerere, qui factum sit, ut joco usus et animo hilari satiras suas scriberet.

Ac primum quidem statum considerare reipublicae Romanae, quem paullo ante quam regnare Augustus coepit fuisse scimus, tum aetatem ipsam Augusti illustrare haudquaquam alienum fuerit.

Romani non jam libera republica digni fuere, quum mores ad mollitiem satis magnam delapsi essent, fames divitiarum ac luxuria fere incredibilis in dies magis invalesceret, reipublicae studium et patriae rebus consulendi voluntas celerius opinione languesceret. Ac quum bellis civilibus et Caesare ipso respublica illa praeparata esset, in

qua summa omnium rerum penes unum esset, facilius quae obstabant et impediebant, removere poterat Augustus. Qui vir, etsi eum constat inter omnes, ut ad imperium perveniret, non rectas semper vias justasque instituisse nec, ut consilia sua perficeret, ad rationes semper laudandas confugisse, tamen, quum ad summum fastigium emersisset, usus sapientia et lenitate praeclare de civitate Romana meritus est. Atque haec Augusti imperatoris de rebus Romanorum merita quaenam fuerint quaeramus.

1. Senatum, cuius auctoritas valde debilitata erat, imminuto senatorum numero eorumque meliore delectu facto ad pristinum splendorem revocavit.

2. Haud ita liberalem se praestitit in civitate donanda, quum antea magna perditorum hominum copia et ipsorum servorum ea donata esset.

3. Multo severius in ordinem equestrem, quem esse male moratum et degeneratum videbat, animadvertit.

4. Legibus datis impedire, ne quisquam ambitu efficeret, ut magistratum gereret, studebat.

5. Imprimis Augustus, ut Romanorum mores fierent meliores, omni ope et opera enitebatur idque variis institutis et legibus consequi studebat. Spectabant hae leges ad luxuriam circumcidendam, ad libidines coërcendas, ad adulteria removenda, ad mores denique omni opere excolendos ac perpoliendos. Atque ut mulieribus pudicitia restitueretur, eae interesse iis certaminibus, in quibus nudo fere corpore certaretur, lege vetitae sunt. Itidem ne jam nimis magna crudelitas et saevitia animis inesset Romanorum, est lege constitutum, ut ludi gladiatorii bis tantum in anno et tum demum quum a senatu esset concessum, committerentur.

6. Singularis quaedam in Augusto bonitas, lenitas, humanitas erat, quibus rebus omnibus id consequebatur, ut favorem populi et benevolentiam sibi conciliaret.

7. Missis illis, quae praeterea ab Augusto egregia eaque ad Romam excolendam, custodiendam, purgandam facta

constat, ad illud advertamus animum, quod ante res omnes impedire, quominus cum aetate sua Horatius dissideret, videbatur.

Ac tantum quidem Augustus se artium et literarum fautorem, talem poëtarum et scriptorum amicum praebebat, ut aetas eius recte vereque aurea nominetur; sunt enim eius rei Horatius, Virgilius, Tibullus, Ovidius, Livius, alii testes gravissimi.

Sic contemplantibus nobis ea quae diximus, multo felicius meliusque saeculum Augusti extremis liberae reipublicae temporibus videbitur.

Princeps imperio dignitatem et quietem reddebat, civibus bonorum possessionem restituebat, multa vitia saluberrimis legibus coërcebat. Ipse clemens dominus, amicus comis ac fidelis, bonus imperator neque indignus qui nomine patris patriae vocaretur.

Honestas igitur et decor, sensus et judicium veri nondum plane exstincta erant et acuebantur artibus ac literis, quae pulcherrime tum vigebant. Hac aetate Horatius vixit, homo suavis atque hilaris, comis et humanus, facetus et vitae jucunditatibus non minus quam Musis carus, doctus et ingeniosus, praeclara indole praeditus, artium liberalium studiosus, Graecis literis imbutus, summorum virorum consuetudine usus, gratia Augusti imperatoris tutus et florens, degens vitam nullis vel curarum vel negotiorum molestiis vexatam, secura mediocritate contentus, et animo et gloriae amore et vitae contemplatione ad carmina condenda concitatus.

B.

Decimum Junium Juvenalem. etsi de eius vita modo incerta, modo ambigua tradita sunt, constat Aquini natum esse aut a. 765 u. c. aut 792 u. c.

Quinam autem parentes, quinam magistrī fuerint, in

incerto versatur, quum nec Quintilianum nec Cornelium Frontonem eum instituisse sciamus. Claudii et Neronis temporibus se dedit dicendi exercitationibus magis studio artis colendae quam consilio aut ad forum aut ad scholam accedendit impulsus. —

Quadraginta agens annos ad poësin colendam accessit et quum diu tacuisset, etsi de vitiis aetatis suae in dies maioribus acuta voce dolere debebat, indignatione quadam exclamavit: *„Semper ego auditor tantum?“*

Jam octoginta annos natus ad ultimum Aegypti finem missus in exilium esse dicitur specie honoris, quum ibi muneri praefecti cohortis praeponeretur. Hac ipsa de re adhuc valde ambigitur, quum alii aliter de exilii causa, tempore, loco narrent, quare qui rem omnem fictam esse contenderent, complures fuere. Sed hoc nihil ad nos. Habeamus potius temporum rationem, quae Augustum consecuta sunt, ut, quantum ad carmina Juvenalis condenda valuerint, intelligamus.

Jam post Augustum res valde mutabantur. Pessimi imperatores erant *Tiberius,* homo ad crudelitatem et genus vitiorum omne propensus, qui castris praetorianis extra urbem exstructis, institutis maiestatis judiciis et delationibus dominationem firmabat; *Cajus Caligula,* quem hominis monstrum habemus; *Claudius Nero,* non minus sceleribus quam ineptiis infamis; *Galba* avarus; *Otho* mollis; *Vitellius* saevus et ignavus. Talibus imperatoribus libidines et vitia, legibus et pudore adhuc refrenata aut clam magis quam palam exercita, ruptis vinculis profundebantur atque Caesarum ipsorum exemplis probabantur. Vitellio occiso in aliquod tempus boni imperatores, *Vespasianus* et *Titus,* qui amor et deliciae generis humani nominabatur, rempublicam Romanam ornabant. Sed mox evasit *Domitiani* avaritia et crudelitas, qui in omnibus rebus fratris sui dissimilis, hominibus inimicissimus, fugiens laboris erat.

In toto illo ante Vespasianum et Nervam statu rerum Romanarum vix umbra ac ne vix quidem ulla pudoris,

animi magnitudinis aliarumque virtutum, metus legum, libertatis, religionis reliqua erat. Divitiis et nobilitati, artificiis et sordibus, non meritis et virtutibus patebant honores. Ab occupationibus severioribus, a literis artibusque ingenuis colendis longe hominum animi abhorrebant, quum libidines atque voluptates non tantum corporis, sed animi etiam omnes vires exhaurirent.

Qui munus philosophorum profitebantur, vel ducti erant vitae voluptatibus, vel flagrabant sola disputandi cupiditate, vel usi vana ostentatione Stoicorum gravitatem et praecepta non moribus et omni vitae ratione, sed verbis et toto corporis habitu vestituque imitabantur. Senecam vero et Cornutum nolim in eorum numero haberi.

Omnis oratio a naturali pulchritudine, simplicitate, gravitate ad subtiles argutias rhetorum et paene puerilem in dicendo ornatum, ad luxuriem verborum inanem et quaesitam enunciationum elegantiam, ad doctrinae vanam ostentationem deflectebat, quum non jam libere loqui liceret, in peius mores hominum ruissent, studia veritati et sinceritati inimica facta essent.

Juvenalis quidem non funesta tantum, sed felicia etiam primum Vespasiani ac Titi, deinde Nervae, Traiani, Hadriani tempora vidit, quae vero magis ob bonos, quos diximus, imperatores digna erant quae felicia vocarentur.

Augusti igitur aetate rebus adhuc laetis et renascentibus ridere licebat: Neronis vero et Domitiani temporibus quum omnes res pessum irent ac starent vitia jam in praecipiti, risu parum proficiebatur, imo indignatione et ira opus erat.

Suo uterque tempori, Horatius et Juvenalis, carmina condidit, suo uterque genere insignis, utriusque denique nomen et laus, dum memoria erit, manebit.